Historia belli Sueco-germanici.
1618 - 1629.

Motus animorum circa motum armorum Sueccorum in Germaniam. 1675.

Frischman Joan.

MOTUS ANIMORUM

Circa

Motum armorum Svecicorum in Germaniam,

& primùm qvidem in provincias

Serenis. Principis Elect. Brandenb.

Marchiam & Pomeraniam.

M. DC. LXXV.



Ubium non eſt, qvin motus ille armorum, qvo Sveci Germaniam, & qvidem primùm Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Provincias, Marchiam & Pomeraniam, nuper invaſerunt; multas variasq́ cogitationes excitarit, easqve initio perplexas, anteqvam literis & declarationibus hinc inde de cauſa & juſtitia hujus, vel invaſionis hoſtilis, vel Hoſpitationis, transgreſſus, &c. amicabilis, ut aggreſſoribus eam qvalificare placuit: adeoqve de juſtitia vel injuſtitia ejus mundo innoteſceret. Qvod cum jam factum abundè, non minus tamen dubitandum eſt, omnibus Europæ Poteſtatibus, Rebus-publicis, imò & privatis, ad magnos variosq́ motus animorum anſam præbuerit, qvos hîc aliqvanto perſcrutari animus: ſine præjudicio ipſius cauſæ, de qva ſub judice, ſummo ſcil. Regum, lis eſt, ejusq́ deciſio ab ejus juſtitia cum tempore expectanda.

Primùm *Summum Pontificem* mihi ut Catholico prætereun- I.
dum non duco, qvi etſi ab hoc armorum motu longè ſatis abeſſe & ſecurus degere ſibi videatur: Tamen recordari debet: qvas olim Gothi Vandaliq́ ex hac Septentrionali vagina Gentium exeuntes Italiæ, imò ipſi Romæ, calamitates intulerint, qvorum primi citra mare ſuum progreſſus imbecilliores tunc fortè fuerunt, qvàm iſti, qvibus nunc iterum Scenam inchoare velle videntur.

Dolendum eqvidem, qvod in hanc ſanctam Sedem, neſcio II.
caſu an conſilio, plerumq; ſenes Decrepiti eligantur, qvi paucis, qvibus regere eam poſſunt, annis, longas atqve in multos annos curas ſuas pro bono Eccleſiæ & totius Reip. Chriſtianæ extendere & proſeqvi haud poſſunt: Easqve potius ad exaltandos ditandosqve Nepotes ſuos dirigant, eo ut altiores eos, Domusqve & Baſilicas eorum faciant. Sed eo magis Sacro *Cardinalium*

Collegio incumbere videtur, ut tanto prudentius, diligentius & majori cum effectu res Ecclesiæ curent, ne socordia vel *Unius* vel *Alterius* rerum potientis Respublica Christiana ex hisce turbis detrimentum capiat. Certum qvidem est, Svecos longè satis à Roma distare, animum tamen eis illam aliqvando invisendi non deesse, ex familiari illorum militum, Germaniam saltem ex scaphis suis appellentium, qvæstione patet. Ne de Gallorum in Siciliam Insulam, occasione horribilis illius seditionis urbis Messinæ, ausu hîc loqvamur, qvæ ut olim urbis Romæ Granarium audiit, si in Gallorum potestatem delaberetur, qvid inde urbi timendum, satis in aprico est. Non minus itidem, qvantum Svecorum, ut Galli mercenariorum, in Germania progressus ad id facere & conferre possint.

III. Sed propius ad rem nostram, sicqve ad *Cæsarem* accedamus; qvis autem Majest. suæ de hoc motu armorum sensus, haud difficile est inqvirere: Cum jam olim istius suasu, Gallorum in imperium ausus pro hostili invasione, Galliqve ipsi pro hostibus Imperii, in conventu statuum ejus Ratisbonæ, sint declarati, & cùm ut idem de Svecis fiat, summopere, nec sine spe successus, allaboret. Hocqve non immerito. Qvod & qvantis enim modis illi pacem Westphalicam ferro & igne infregerint, & Rhenus & Mœnus, cum Mosa, Mosella & Sara & Neccaro, satis nimium testantur. Et qvod isti illorum mercenarii non meliora ad Oderam & Albim animo volvant, satis superqꝫ apparet. Qvod ut Generalem Imperii causam dubium non est, qvin universi ejus ordines sint perpensuri. S. autem Cæsar. Majest. hoc inprimis prudenti consilio considerare debet, anne Sveci arma sua, nisi vi coacti, sint deposituri, citra aliqvam, qvam ipsi vocant realem & perpetuo duraturam satisfactionem: Eo enim vocabulo uti, eoqve integras Provincias absorbere amant. Qvid hac in materia Westphalica pace transactum fuerit, tabulæ ejus loqvantur. Hisce illis Episcopatus Bremens. & Verdensis sub Titulo Ducatus, Pomerania item Citerior cum principatu Rugiæ & civitate Wismariæ &c. Compensationis vero loco Serenissimo Brandenburgico Electori Archi-Episcopatus Magdeburgensis, item

Hal-

Halberstadiensis & Mindensis : Duci vero Megapolitano pro Vismaria Episcopatus Sverinensis & Razeburgensis in hæreditatem cesserunt. At cùm jam nunc nulla vel pauca bona Ecclesiæ in protestantium manibus restant, qvæ vocabulo non magis qvam exemplo barbaro in eorum gratiam secularisari possint, qvid superest, qvin novæ prædæ inhiantes Leones isti, vel pro seipsis, vel ad indemnisationem unius vel alterius Principis, qvorum ditiones magis iis ob vicinitatem arrideant : totam Silesiam in satisfactionem, qvod vocant, prætendant : qvod adeo absurdum iisqve haud novum æstimandum. Memoriâ enim consilio Cæsareo excidere non potuit qvod etiam illam ipsam Silesiæ provinciam in dictis Westphalicæ Pacis tractatibus, una cum reliqvis, qvas partim obtinuerunt, in partem satisfactionis suæ postulasse. Qvod tamen illo tempore objectis aliis offis, declinatum. An nunc autem deficientibus talibus fieri poterit, ambigendum : Uti alias, qvæ ab abscissione tantæ, & ob magnitudinem & situationem suam tam amplæ, utilis, imo & necessariæ Domui Austriacæ Provinciæ cum tempore timenda, aliis judicandum relinqvitur.

Qvod ad omnes *S. R. Imperii ordines* attinet, qvibus oculis hanc Svecorum invasionem intueri velint vel debeant, non est qvod dubitetur : qvæ supra de infractione pacis Westphalicæ dicta sunt, hic omnino qvadrant. Etsi Electores hoc Pacifragio jam incessatos, imo ad incitas redactos, ut Trevirensem, Palatinum & nunc Brandenburgens. (ordine invasionum eos locamus, nec Coloniensem suæ fortunæ fabrum, hîc moramur) interrogare licet : Provinciarum suarum ruinas, subditorum internecionem, partim etiam Urbium & Villarum incendia loqventur & vindictam uno ore clamitabunt. IV.

Moguntinus & *Saxo*, fortè & *Bavarus*, nihil hactenus experti, nisi qvod nuper in istius Aula ausum Gazettis per orbem fertur; Sed & isti nullo alio qvam ordinis beneficio gaudebunt, vel ad tempus ob longinqvitatem tuti sunt. V.

Celsissima Ducum *Brunsuicens.* & *Luneburgens.* Domus cujus hac in re sententiæ, heroicæ ejus actiones satis testantur : nec VI.

Hannoverensis Ducis, ab Uxore Gallica in devium acti, obstinatio obstat, vel longius obstabit. Cum & illum cum tempore à fratribus in rectam viam reducendi spes adhuc supersit. Uti eorum sinceræ pro libertate Germaniæ intentioni, omnes ad unum Principes civitatesqꝫ Germaniæ, qvæ adhuc juris sui sunt, & calamo & armis subscribunt.

VII. Nunc ad *Hispaniæ* Regem vere Catholicum, relicto suo loco Galliæ, Christianissimo dicto, transeamus: qvantum ille hisce novis armorum motibus commoveatur, non multum inqvirendum: Inter hostes n. Galliæ & qvidem Primarius cum sit, qvis dubitet Majest. suam omne illud qvicqvid in favorem Galliæ, & per conseqvens sui & confœderatorum damnum tentotur, alio ac invido, imò irato aspicere oculo posse. Nemo autem omnium Principum, qvi in fœdere sunt, majore impetu & ardore progressibus Galliæ se opposuit ac Serenis. *Elector Brandenburg.* eoqve multos illius progressus, qvos in Flandria Brabantiaqve facere potuisset, impedivit, plura etiam præstitisset, si semper & ubiqve ingentia ejus atqve in commune Bonum unicè tendentia Consilia, non ab aliis concursu simili, ne amplius dicam, fuissent frustrata. Hunc Principem nunc à tam benè inceptis, Svecorum invasione in terras proprias avocatum, qvod Regem hunc Catholicum non summoperè percellat, qvis non facilè existimabit. Inprimis cum à Svecia hæc tentari audiantur, qvæ paucis abhinc annis ad Gallorum refrænandam belli alienaqve invadendi libidinem cum Anglia & Fœderatis Belgii Provinciis, tri-
Ecclesiast. plex illud, ut vocabant, Fœdus inierat, qvod vel secundùm
c.4.v.12. ipsam Sacram Literam, qvis non validissimum, indissolubile, multùmqve imò æternùm duraturum credidisset? Hocqve eo qvidem tempore, qvo tali, qvam vocant, diversione, armis Gallicis tantum virium accrescat, qvo immanem illam Messinensium seditionem magis ac antea juvare, sicqve ad illam à tot seculis concupitam Tyrannidem utriusqve Siciliæ Regni pervenire qveant. Non semper enim & qvotannis Vesperarum istius loci usus & fortuna recurrit.

Vicinitatis opportunitate hîc qvædam de *Portugalliæ* Regni in his motibus armorum, motu dicenda forent. Sed cum hoc ipsum non minus vinculis Tyranni sui; qvam ipsius verus & legitimus Rex Terceræ captivus teneatur; Ille ipse autem usurpator, magis adhuc fratriæ itidem & Uxoris suæ, & proinde Galliæ nervis regatur; de illius aulæ sensu non alia dicenda expectandaqve sunt, qvam qvæ illi spiritus Galliæ insusurraverit. Mireris fortè, Lector, Catholicum me de hac moderni Portugalliæ Rectoris Uxore ex ore ferè S. Johannis Baptistæ loqvi, cum hæc, qvæ in negotio isto gesta sunt, Apostolica autoritate facta esse vulgo persvadeantur; sed qvi interiora introspicit rerum, facilè judicabit istam Sanctam Sedem ejusqve sanctum ac incomparabilem Pontificem Clementem IX. æternæ memoriæ, ab hoc detestando piaculo longè immunem esse, nullaqꝫ hîc in culpa laborare, nisi qvod falsis Galliæ Relationibus fidem habuerit, & Cardinali Vindocinens. qvi & ob nationem, & cum desertrice Regina proximam parentelam, maximè in hoc negotio suspectus esse debuisset, tantam tribuerit facultatem, qvâ ut certè abusus, rationes & in foro Romano reddere debuisset, at nunc in superiore jam reddidisse, & pœnas transgressi à Christi Vicario accepti mandati gravissimas nunc luere verendum est. VIII.

Post Reges hac in causa ab una parte Fœderatos, *Præpotentes unitarum Provinciarum Belgii Ordines* se offerunt; qvi ut primi in hac Tragœdia Bellica actores, & initiò à Rege Galliæ contra pacta, fas & æqvum bello tam immani & truculento, majoribusqve adhuc sævitiis, stupris, incendiis, & vastationibus gesto infestati & propemodum deleti fuerunt; Qvid in hoc casu sentiant, vix opus est ut inqviramus. Deo eqvidem O. M. liberationem suam, qvod eos in hunc statum, qvo nunc gaudent, restituerit, ex asse qvidem debent, Qvi Gallos, ut tot loca fortia atqve munita, maxima præsidiorum perfidia vel ignavia paucis diebus qvasi devorata, tot ferè mensium spatio ultrò qvasi, nisi divinam spectes manum, emovere coëgit. At eorum ipsorum & subditorum totius Belgii fœderati sententiâ, nulla humana manus plus in hoc negotio operis habuit, nec aliis tribuit ac Serenis. IX.

Bran-

Brandenb. Electoris, qvam promptè, diligenter ac strenuè ille ad restingvendum hoc incendium bis accurrerit, neminem latet. Eoqve Galliæ iram ac odium in se excitasse, qvod primum fraudulentâ pace donisqve dissimulare, nunc ipsis Svecorum, nummis ad id conductorum, armis vindicare satius duxit. Si Ordines hoc Fœderati gratitudine non mentali solum sed reali, qvod nunc opus, non cognoscant, ingratissimorum sanè calculo merito notarentur. Sed ab hac infami macula tam longè absunt, ut hoc Electoris iteratum officium & debito cultu agnoscant, Et hoc à Svecis ei in odium illius sibi allati auxilii illatum damnum, ut suum proprium existiment: & vel ipsi resarcire parati sint, vel armis vindicare, omnemqve nunc, ut fertur, lapidem moveant, qvo Cæsar & Imperium ob hoc tam enorme fœdifragium, uti jam Gallos fecit, item & Svecos, ut publicos Imperii hostes pronunciet: uti jam illos ab affectato Mediatoris officio, sub cujus larva longiusculè sibi illuserant, jam excisos se declararunt. Justè sanè & prudenter: qvid enim justius, qvam amicos fœderatos in periculis suis eadem, qvâ nobis auxilio fuerunt, alacritate & fide, inprimis si ob id ab inimicis communibus malè habeantur, pariter juvare, qvo alii ad eandem alacritatem & fidem imposterum incitentur. Sapienter autem, cum suspectum habere in pacis negotio Mediatorem, ipso qvasi bello periculosius sit.

X. Hoc qvod dicimus, nos ad *Daniæ* Regem deflectere jubet. Etsi an pro verè hac in causa interessato Principe an neutrali habendus, à qvibusdam adhuc ambigatur. Sed ut ad Scopum veniamus, res aliqvanto altius repetenda. Flagranti Germaniâ diuturno Svevico bello Rex Christianus Daniæ IV. pro innata sua pietate, qvâ secundum Symbolum suum Regna firmari credebat, incendium hoc restinguere satagebat, eoqve mediationem suam, ut vocant, offerebat: Eaqve ab omnibus partibus, præliminaribus illis Hamburgi annis compluribus habitis Tractatibus, erat recepta. Svecis tamen in ipsis cordis penetralibus suspecta videbatur. Hinc ut Regem istum ab isto opere pio eliminarent, bellum ipsi sub finem anni 1463. intulerunt, qvo jure

jure vel injuria, hîc disqvirere locus non est. Sed cum jam nunc eadem ludatur fabula, mutatis, imò inversis solum personis, Serenis. Daniæ Regi cogitandum relinqvitur: Numne illi nunc Svecis idem qvod illi Avo suo fecerunt, reddendi occasio optima nata sit, ut scil. eos nunc itidem à mediationis officio, eôdem ac illi Avum olim, aut alio convenientiori modô detrudat. Non dubitet Majest. sua, si in eo permanserint, eoqve qvo collimant deduxerint, aliqvam Germaniæ partem pro lucro capturos. Sive pro impensis factis, sive permutatione, ut jam antea dictum. Nec ambigendum, eos pro hoc tempore nondum adhuc Germaniæ meditullia animo suo insatiabili devorare, sed potius maritimis ad Balthicum, inhiare: ubi præter Ducalem Pomeraniam & Borussiam ac Curlandiam (qvæ tamen extra Romanum Imperium aleamqve, de qva adhuc ludere videntur) Rostochium, Lubecam & Holsatiam nihil amplius superest. Cætera jam immani libidine occuparunt, juste tamen, ut volunt, pactis & Westphalicis & Brembroganis & Roschildensibus. &c. Nec est qvod Dania sibi persvadeat, hisce omnibus, Gothiâ scil. Gemptiâ, Blekingiâ, ipsaqve tam amplâ & pulchrâ Scaniâ, immensam Svecorum sitim Provinciarum scil. sibi adjacentium sedatam: Plus Ultra iis semper in ore & animo, & si Dani iis nunqvam fidem etiam jurantibus habent, maximè fallentur: Proverbium enim illis: nunqvam securò Gœtæ (sic Danos vocant) fidendum, nisi in vola manus crines habeat, &c. Prudentia ergo credo Danorum esse, ut idem de Svecis, qvas hi multis modis sibi fœdifragos vocare solent, idem retorsione credant, eâdemqve in eos præcautione utantur. Sed de his nimii fortè sumus. Non enim est locus, ut opinamur, ut Danis in communi hac causâ classicum ulterius canamus, nec Regem & potentiâ & viribus, imò animo & juventa pollentem ad arma ulterius provocemus. Libeat saltem Majest. suam ad fenestras Aulæ suæ Hafniensis invitare, ubi qvotidie causam belli & vindictæ Scaniam scilicet non minimam nec invenustam olim Regni sui provinciam, oculis ei illustrare; sed nihil amplius licet.

XI. Conſideratio illa de abdicanda Svecorum in Tractatibus Pacis Mediatione ad Daniæ nos Regem ex connexitate materiæ abripiebat ; adeo ut de Celſiſ. *Arauſionenſium Principe* qvædam etiamdicere huc differendum fuerit.

Egregii hujus & incomparabilis Principis hac in re motus animi alius eſſe non poteſt, qvam ipſorum ordinum confœderati Belgii Generalium. Communis enim utriusqve cauſa conſervandæ Potentiæ ſuæ & reſpectivè libertatis contra qvoscunqve, inprimis Galliæ Regem: odioqve & armis proſeqvendi omnes qvi eandem nimis ſibi vicinam ſuſpectamqve Tyrannidem qvodam modo juvare poſſunt: qvod cum Sveci novo & inopinato hoc armorum motu imprimis intendant : facilis inde concluſio ſeqvitur. Hoc fœderati Belgii intereſſe, qvod vocant verum & reale eſt; nec minus celſiſſimi Arauſionenſ. Principis eſſe debet: niſi ad M. Britanniæ Regis partes magis, qvàm par eſt inclinare, & in turbidis aqvis unius vel alterius Provinciæ abſoluto, qvod vocant, Dominio inhiare videri velit: qvod multi eidem ex nupero illo in Geldriæ & Ultrajecti provinciis negotio imputare voluerunt: qvod tamen ejus prudentiâ in herba ſuppreſſum: qvamvis ejusdem Celſitudinis bono & ad famam ejus optandum fuiſſet, Nec ſemen qvidem ejus uſpiam apparuiſſe, & per vulgus ſparſum, cui talia ſemper animo & altius qvam optaveris, hærent.

XII. Nunc ad Principes qvosdam tranſeamus, qvi ab hac cauſa planè alieni ſunt aut ſanè eſſe deberent: qvorum primus omniū ſe offert *Poloniæ Rex*. Acerrimum hoc à Rege Galliæ unitis Belgii Provinciis illatum bellum , cujus incendium jam univerſam Germaniam corripuit, jam Prædeceſſoris moderni ſcil. Michaelis Regis tempore inchoatum eſt, nec præſens Regia Majeſt. partem in illo aliqvam habere poteſt, adeò ut nec ea, qvæ ad durationem ejus facere videntur, avere præſumi poſſit; Cum illius & totius Regni ſui verum & immutabile intereſſe (ut nunc loqvimur) in eo conſiſtat, ut omnes omnino Chriſtiani orbis Principes Pacem inter ſe perpetuò colant, qvò ad molimina hoſtis illius nominis, ſuisqve aſſeclis eo fortius reſiſtere, & illi, qvi ab illis

illis armis impetitur, majori vi & successu assistere possint. Et cùm jam immanis illorum vis sibi & Regno Poloniæ non immineat solùm, sed cum tempore fatalis ejus ruina inde timenda; qvis ambigere possit, qvin Serenis. Rex pro incomparabili sua & pacis & belli artibus comparata prudentia omnia ægrè ferat, qvæ ad durationem belli inter Christianos ansam dare possint. Qvod cum de motu illo insperato armorum Svecorum in aperto sit, qvin S. Majest. eum summopere detestetur qvis dubitet? Sunt tamen qvidam, qvi se emunctioris nasi esse videntur, qvi Reg. S. Majest. alios hîc motus animi habere, & omnino Gallicis in hac causa partibus adstare autumant, idqve svasu Serenis. Conjugis, qvæ cum in defunctæ Reginæ Ludovicæ Gynecæo ex Gallia venerit, & ejusdem & Patriæ sensus secum attulerit, & etiamnum foveat. Nobis qvidem facies illius aulæ ignota est, non item Regni totius leges & fundamentum, qvæ eò, qvod à nobis dictum, omnino collimant. Nec est qvod vereamur, ne Galliæ vel Sveciæ persvasiones verbales vel reales, Prudentissimum Regni hujus Senatum, in qvo veterem illam Urbis, qvæ Regibus & Principibus, imò toti propemodum Orbi Leges dabat, Majestatem qvasi in imagine aspicere licet, & ingentis illius Nobilitatis pro libertate sua Zelotypiam eousqve fallant, ut sibi imponere patiantur, vel novum hunc armorum motum ad Pacem reducendam, non vero ad privatam Provinciarum acqvisitionem intendere, & Poloniam ac aliqvo modo ad eam pertinentes provincias ab hac intentione securas esse posse.

Hos nempe Stationes, & ut cum militiæ vulgo loqvamur, qvartier Lauff- und Sammel-Plätze / & qvæ eo faciunt, Contributiones Terris Lauenburg & Butowjam indixisse fama fert. XIII. Qvæ tamen etsi à Serenis. Electore Brandenburgensi nunc per pacta possidentur, Regni tamen Poloniæ fundus sunt, & ad idem suo tempore in pactis constituto redibunt. Alia qvidem Ducatus Prussiæ ratio est, cujus & supremum unà cum utili Dominio, dicto Serenis. Electori Pactis Bidgostiensibus cessit: ita tamen ut successio Poloniæ Regno in defectum Masculæ lineæ ejus Serenitatis descendentium ad Regnum Poloniæ devolvantur.

Hæc Svecos adeo non latent, ut uno & altero cum Serenis. Electore initô fœdere Gvarantiam illius in hac Provincia obtenti Dominii supremi in se contra qvoscunqve, ut verba illius loqvuntur, in se receperint & pacti sint. Adeo ut incredibile planè videatur qvod Gazettis fertur, Ministeriolum qvendam Sveciæ in Aula Polonica palpum hunc Proceribus aliqvibus obtrudere voluisse, nihil plane Poloniæ interesse, an Serenis. Elector Brandenburgicus aut Sveciæ Rex Prussiam, qvam vocant, Ducalem teneat: imò Hunc provinciam hanc feudi Nomine à Regno recepturum, paratum esse &c. Næ! talibus sapientes imò prudentissimi Poloniæ Proceres sibi fucum adeò spissum facere non permittunt. Feudo potentiorem investire, jam olim maxima pro imprudentia habitum. Et cum & hæc Clientela fiduciaria nominetur, vel ex hoc nomine judicandum, qvantum fiduciæ Patronus in talem habeat, cui hoc titulo provinciam concedit; fiducia scil. qvæ in sola fide Vasalli fundatur, qvæ qvantum fragilis temporumqve mutationibus obnoxia, exemplis patet. In promptu est, omnes S. Romani Imperii feudatarios Principes in Italia olim subditos, nunc fiduciariô illo jure majori fiduciâ abutentes, absolutos & independentes à dicto Imperio evasisse. Qvânam fiducia Sveci fiduciario hoc jure in Provinciis Bremensi & Pomeraniæ, aliisqve ab Imperio eo nomine obtentis habitisqve, hoc ipso armorum motu abutantur, non est qvod verbis deducatur, cum res ipsæ & effectus loqvantur. Milites ibi habent, conscribunt, alunt pro lubitu: non qvidem pro numero illis Imperii legibus præscripto, sed eo, qvo pro temporum & libidinis suæ opportunitate vicinas aliorum Statuum Provincias invadere, civitatem hanc vel illam, ut nuper Bremensem, obsidionibus cingere: & sic Imperatorem omniaqve in iisdem pro lubitu agere possint. Post tam immanem Fiduciarii juris abusum, nimia sanè & occœcatissima fiducia foret, si sapientissimi Poloniæ Ordines sub hoc nomine Prussiam illam Ducalem iis concederent, & contra jus pactaqve tam solenniter icta, à toto Regno toties consensu Generali in Comitiis Regni, Regioqve Jurejurando firmata, in Sveciam transferre, sicqve pro

Prin-

Principe Duceqve Amico ac vicino non minus antiqvo ac fideli, feudatarium sibi, si non potentiorem, æqvè tamen ad præsens potentem Regem accipiant: Dico ad præsens æqvè potentem; haud longè enim æqvalitas hæc, obsit omen! duratura foret, cum Svecos tot & egregiis maris portubus jure, ut credunt, obtentis & interiores Poloniæ Provincias hoc vel illo titulo occupandas animo concepturos, haud dubitandum; hocqve vel obtentu vicinitatis, vel in satisfactionem pro auxiliis præstitis, qvibus ut locus, Poloniam per alios lacessendi finem non facient, qvo illi semper necessarii esse creduntur: sicqve amicis opem ferendo, ut olim Romani, toto demum Regno potiantur.

Væ hoc casu *Curlandiæ Duci*, cui nondum suæ & domûs totius tam funesta incarceratio memoria excidere potuit, uti nec omnibus Europæ Principibus, qvi non suâ potentiâ nixi, Potentiorum insultibus, ut semper patent, ita semper & perpetuo detestanda & execranda erit.

Væ qvoqve *Regali*, qvam dicunt, *Prussiæ*, qvæ sola cum Curlandia & particula parvissima Samogitiæ Pomeraniâqve Electorali restant, qvin Sveci totius maris Balthici ad Lubecam & Holsatiam usqve Domini & Tyranni sint.

Væ inprimis *Gedano*, Ocello isti Prussiæ & Emporio totius Arctoi Orbis celeberrimo, de qvo cum qvædam peculiaria dicenda occurrant, ea qvoqve sed brevissimè convenienti hoc loco perstringamus.

Qvæ Civitas hæc: Omnibus & cœli & terræ Donis ubertim ditata (præter Catholicam fidem, qvam tamen suo modo tolerat, permittit, imò in partem defendit) nupero Svecico in Poloniam motô bellô, pro Patria sua Polonia defendenda, pro Rege tunc qvasi exule in Solium restituendo, fideliter, magnanimè & feliciter perpetravit: qvin hæc omnia dico Svecis in recenti adhuc memoria hæreant, qvis dubitaverit? Et dum eos semel offendisse sit satis; non credimus prudentem illius Senatum tantam in socordiam prolabi posse, ut unqvam fidam sibi à Svecis Amicitiam promittant. Sub regno Poloniæ, libertate, qvam vocant conscientiæ, Juriumqve imò Commerciorum, qvam XIV.

 optant,

optant, tali utuntur, qvalem ab alia Poteſtate ſuprema, qvoqve illa eſſe poſſit, expectare nuſpiam poſſunt. Nec eſt, qvod ſe Legati illius Svecici, neſcio qvo prætextu (qvi qvalis tandem ſit, iis & Regno Poloniæ non alius, qvam exitioſus eſſe poteſt) longius apud ſe commorantis faſciniis capi ſinant. Accipiter enim ille Aqvilonius lilio initens, qvam aliam ac ad Galli cantum cantilenam inchoabit & proſeqvetur, qvæ an Aqvilæ Sarmaticæ auribus ſemper grata imò proficua futura, tempus dabit. Inclyta intereà Civitas Gedanenſis novis hiſce Sveciæ motibus, non alio qvam ad ſummam tutelam ſui & libertatis, ſi ſapit commoveri poteſt. Cum non ſolùm arma illius in vicinia ſua, nec ad decimum, qvod ajunt, lapidem à civitate ſua diſtent. Et in penetralibus habeant peculiares motus, qvos Pſeudo ille Doctor, cui à Dumeto nomen, inter cives ſuos excitavit. De qvo plura dicere occurrerent, qvæ tamen, qvaſi contrariâ Religione ducti, hæc depromere vellemus, accipi poſſent. Superſedemus itaqve & in præſentiarum. Satis nobis Coronidis loco hîc dicere. Patheticam hujus Sycophantæ in Catholicos invectionem (qvaſi illius Theologi ſeculari Magiſtratui omnem obedientiam reverentiamqve in qvibusdam Caſibus denegent: hocqve à ſuæ Religionis Doctoribus nunqvam factum) Hoc inqvam egregium hunc Doctorem proprio ſuo facto & exemplo interverti ſſe. Sed de hoc ſatis, ſenatus Urbis hujus ſapientiſſimus, pro ſagacitate ſua & huic malo remedium inveniet: & qvo ad publicum imminens veteris verbi non obliviſcatur: Ab inimico reconciliato cave.

XV. Vicina Poloniæ *Moſcovia* qvædam etiam *de Magno* ejusdem *Czare* dicendi anſam præbet. Tempus fuit, qvo iſte ocioſus Europæarum Tragœdiarum ſpectator, qviſnam iniis ſuperior vel inferior evaderet admodum ſecurus erat. Nunc autem cum aliqvam rerum noſtrarum curam habere vel ex eo videatur, qvod varias pro medianda & promovenda inter Principes Europæ Pace Legationes hinc inde miſerit, meritò æſtimandum, Magnum iſtum Ducem motu qvoqve iſto novo armorum non parum moveri. Et qvæ ille in auxilium Poloniæ contra Turcam movit

vit, ad minimum ſuſpectum ei reddere debent omne illud, qvod Pacem inter Pricipes Chriſtianos difficiliorem reddere poteſt. Hoc cum de novo iſto armorum motu omnino verendum, qvin ille obliqvo oculo eum intueatur, facilè cenſeri poteſt. Inprimis cum, ſi ex voto Svecorum cederent, Eorum potentia, qvæ meritò illi ſuſpecta eſt, vel eſſe debet, vel provinciarum novâ acceſſione vel alio modo accreſceret: qvâ vel Poloniæ in caſum rupturæ, infallibilis cum tempore ad recuperandam Kyoviam, & illam Ukrainæ trans Boriſthenem partem (uti ſecretis inter eos pactis jam conventum certius, qvam nudo rumore fertur) eo fortiora auxilia præſtare, vel totam ſuam vim potentiamqve in ſe ipſum ad dilatandos ad Livoniam & Ingriam fines convertere poſſent. Ultimam Rigæ, qvamvis infelicem obſidionem, ex pari invidia vel timore factam qvis dubitet: Et qvod ſine vindictæ & recuperandi ſpe egregias tot provincias à Svecis ſibi bello aliove titulo ereptas recordari non poſſit. Ingria enim, Carelia, Noteburgum, Narva &c. & ob magnitudinem, fertilitatem, fortitudinem tales ſunt ditiones & loca, ut eorum jactura non tam facilè nationi, alias ad vindictam pronæ, memoria excidere poſſint. Cum inprimis ultimo horum à maris Balthici littore, & commerciis magno ſuo & irreparabili damno eliminati ſint.

Mentio Polonici cum *Turca* belli de hoc Tyranno qvædam attingere ſuadet. Et illum motu hoc novo armorum aliqvandò, imò valde moveri haud eſt dubium, ſed non alio qvam ipſe Diabolus, gaudii ſcil. & tripudii: Immanis ille & juratus Chriſtiani nominis hoſtis, qvid magis aveat optetqve, qvam ut æternæ inter hujus orbis principes diſſenſiones ſint ac bella, qvorum occaſione unius vel alterius eorum viſcera eò ſecurius, ut nunc in Polonia aliqvibus nunc annis fecit, graſſari poſſit. Huc cum motus illi novi apprimè faciunt, qvis dubitet illum unicè iſtis delectari: niſi fortè hoc ipſum aliqvando famâ Svecorum armorum moderetur. Qvæ vicinitatem eorum & magnitudinem eum iniqvo oculo adſpicere facit: inprimis cum & eos aliqvando Poloniæ opem contra ſe ferre poſſe & voluiſſe credat. Eorum XVI.

alias

aliàs fortunæ ſatis favens, qvousqve reliqvis Europæ Principibus terrori cauſaqve perpetuorum ſunt diſſidiorum: & tamen à Danubio vel Tira longinqviores abſunt.

XVII *Rebelles in Hungaria*, qvi ab hoc Tyranno in rebellione ſua contra inclytam Auſtriacam Domum foventur, (ut de alio hoc in negotio non minus ſuſpecto Rege nihil dicamus) qvin & iſti motum hunc novum armorum ſummo cum gaudio acceperint, non eſt qvod dubitemus. Spes enim illis naſcitur, illum ex re ſua & cum tempore inde auxilium ſibi futurum; qvod & fortè eorum, qvi Holmiæ fuit, Emiſſario, Gallico Miniſtro Conliatore promiſſum. Inprimis cum Religionis ſive Sectæ obtentus in partem cauſæ motuum horum prætendatur. Hinc miſeri iſti homines ſpe lactantur fore, ut reſtitutio ſua in Religionis, qvam vocant, libertatem Svecis mediantibus iis obtingere poſſit: Qvod & magis ſperabunt, ſi his Sileſiâ uno vel altero titulo potiri contingat. Sed & hujus ipſius provinciæ Incolarum exemplum Hungaros de hac ſpe dejicere deberet: Cum Religionis negotium Sveci in Weſtphalicæ Pacis Tractatibus parvi ſanè faciebant, dummodo eis ceſſione Provinciarum, qvibus tenacius inhiabant, ſatisfactum fuiſſet: Hocqve contra tot iteratas vel Sacramento firmatas ſtipulationes. Paribus fortè Hungari & nunc faſcinantur, cùm alias incredibile foret, eos tanta obſtinatione Clementiſſimas inclyti & optimi Cæſaris oblationes gratiæ ſusqve deqve habere, & rebellionem ſuam, immanibus in Catholicos inprimis Sacerdotes violentiis, cædibus &c. longius protrahere. Sed hic divinæ converſioni, qvod optamus, potius qvam Juſtitiæ relictis

XVIII Ad *Italiæ Principes* properemus. Hi ad unum omnes qvin novos iſtos armorum motus ſummoperè deteſtentur, nullum prorſus dubium: omnes enim Pacem & qvietem Italiæ ſuæ optant, ad eamqve conſervandam propenſi. Hanc autem accreſcente nimium Gallorum potentiâ periclitari, ſatis in aperto eſt, & tot eorum in iſtam provinciam machinationibus conſtat. Nullus itaqve Italiæ Principum totius Provinciæ & propriæ ſalutis amans hunc in præjudicium aliorum Europæ Regum à

Svecorum armis juvari vel extendi gaudebit nisi forte Uxore ex Galliæ Gynecœo ducta oblataqve sibi magna fugataqve spe occœcatus.

Qvod ut de quibusdam Italiæ Principibus timendum forte haud tamen à Serenis. *Venetorum Republ.* qvæ ut summus libertatis pacisqve Italiæ custos & Zelator talibus se in devium ducere non sinet, sed ne hoc vel alio modo Gallia viribus & potentiâ Italia adeò suspectâ, accrescat, pro prudentia sua incomparabili providebit & qvoad potest, cavebit. Idem securè de *Republica Genuensium* expectandum, qvi potentiam Gallicam, nuper gravem satis experti sunt, adeo ut eam aliqvo modo majorem fieri haud optent: Sed potius media & occasiones, ut ad priorem ante hoc bellum statum reduci possit: qvantum enim ipsis, imò toti Italiæ nova illa Gallorum apud Messinenses vicinia suspecta & terribilis sit, non est quod viris adeo sagacibus multis persuadendum sit. Tritum est: Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet. XIX.

Idem, nec alius sensus, procul dubio & *Helvetiorum* Reip. esse potest vel debet, Hocqve eo potius, qvo Galliæ potentia vicinior iis eoqve magis timenda. Vicinos Gallos habere, nec Veteribus Germanis, qvorum Helvetii vera & genuina propago, unqvam arrisit. Hosqve interstitio illo Burgundiæ Comitatûs (vulgo *la franche* Conté dicti) à Gallia qvomodo separari hactenus gavisi sunt: qvô jam in Gallorum potestatem & nunc nuper delapso, qvid restat, qvin Helvetiis nimia illa vicinior potentia indies magis suspecta fiat: adeò ut omne qvod eam majorem sibiqve formidabiliorem reddere potèst, haud aliter, qvam inviso aspicere possint oculo. Obvium est, qvod diversis, qvos vocant, Cantonibus hoc corpus constet, & qvod diversis & fœderibus cum aliis Principibus, imò & diversa Religione vel sectis scindatur: at unica tamen illis atqve æqvalis libertatis cura, adeo ut non verendum, qvod accretione potentiæ adeo sibi vicinæ & timendæ, adeoqve hisce novis motibus, qvi omnino eò tendunt, & maximopere cum tempore facere possunt, delectentur, imò qvod pulchræ istius Alsatiæ, aliarum XX.

C sibi

ſibi vicinarum, imò & fœdere junctarum Provinciarum & Urbium vaſtatione, incendiis & internecione maximè potius contriſtentur. Majora ex tali novo armorum motu cum tempore timentes. Eoqve periculoſiora, cùm Sveci hiſce turbis ſe immiſceant, qvi obtentu Religionis tot annorum luſtris Germaniam nuper turbarunt: non ſine ipſius Religionis Catholicæ etiam in vicinia Helvetiæ periculo damnoqve.

XXI. Qvod eò Catholicos hujus nationis in fide ſua adeo conſtantes & Zeloſos non minus Svecorum arma abhorrere facit ac fortè Reformatis illorum Concivibus haud ingrati ſunt eorum ſucceſſus: inprimis Urbi *Genevæ*, qvæ & illa Reip. nomen ambit, qvamvis parvitate Dominii hoc jure facile excideret, niſi vicinorum Principum æmulatione hactenus ſubſtitiſſet: maximo cum Subaudiæ Ducis cordolio, qvi nidum hunc Hæreticorum ut deſtruere, & qvæ olim ſub ejus Dominio fuit eidem reſtituere poſſit, à tot retro annis nullum non lapidem movit.

XXII. Vicina Galliæ Helvetia nobis eò deflectendi occaſionem præbet. Cùm tamen hujus Regis cum altero Sveciæ eodem motu nunc agente, communis & ſenſus & motus credi poſſint: his duobus ultimo loco relictis, hîc primùm de *Britanniæ Rege* qvædam dicamus. Qvam perſonam S. Majeſtas in hoc bello initio egerit, ſatis conſtat, & qvod ea depoſitâ, nunc mediatorem inter partes agere velit, omnibus plus ſatis notum eſt. Sveciæ Rex idem hactenus intendit, adeo ut qvoad hunc finem, duos horum Regum cauſa communis eſſe hucusqve viſa ſit. Nunc autem cum Svecia novo hoc & importuno armorum motu mediatione iſta excidiſſe videatur, ut ſanè fœderati Belgii Ordines eo ipſo ipſam hoc munere incapacem declararunt; Dubium videtur, an M. Britanniæ Regi hoc ipſum vel acceptum vel ingratum eſſe poſſit. Pro illa parte laborat, qvod Mediatoris partibus Ei hoc modo ſoli relictis major ſibi & Coronæ de tam magno in Europæ Bonum deducto negotio gloria manſura. Si autem alius iſti Regi & Europam magis adhuc turbandi animus, dubium haud eſt, illum hoc novo armorum motu dolere, qvo illi in negotio Pacis pro lubitu remorando vel diſtrahendo tam

utilis

utilis & fidelis socius deficiet; ad qvem ad minimum, si non majorem, mediam tamen rei non in utilitatem Christiani orbis gestæ culpam devolvere posset. Sed hæc de Rege Titulo illo Magnifico defensionis fidei superbiente, non sunt credenda? Qvamvis enim illum unus ex prædecessoribus suis ab Apostolica Sede pro Catholicæ fidei defensione acceperit: Nunc eodem contra istam S. sedem pro defectis ab ea hæreticis abutitur: qvod tamen Parlamentum istius Regni potius forte facere videri potest: Illud enim rem Hæreticorum & domi & foris strenuè gerere & defendere dubium nullum est: Nec proinde hoc in negotio manet, illud nigro qvod ajunt calculo motum hunc armorum Sveecicorum notaturum, Regisqve actiones majori curâ, imò cautione observaturum, ne illis applaudat, eoqve Generalis Pacis negotium in dubium vel longius trahat. De qvo sessio dicti Parlamenti mox habitura certitudinem monstrabit, & fortè majora tristioraqve qvam nunc adhuc suspicari licet.

Restat nunc, ut *de Galliæ* & *Sveciæ Regibus* maximè in hac re conjunctis & vera adversa cœteris parte qvædam dicamus. Qvoad primum, Christianissimum vulgo dictum: qvid de hoc novo armorum motu sentiat, haud anxius inqvirendum, cum enim hæc omnia ejusdem svasu, ductu & pecuniâ acta sint, & etiamnum agantur, qvis dubitet illum eò qvam maximè gaudere: Sicqve Gallum Aqvilonium illum Leonem ad cantum suum agere ac Tributarium sibi qvodammodo fecisse superbire, cristasqve inde altius tollere. Hinc majores in Belgio, Germaniaqve superiore, Alsatia inprimis sibi armorum suorum progressus promittit. Obice illo primario Brandenburgens. Electore inde remoto & ad Tutamen suarum Provinciarum, hocce ipsorum Svecorum armorum motu avocato. Hinc non solùm Messenæ urbis delatam sibi protectionem & Dominium, at totius Siciliæ certam & perpetuam animo volvit, sed & majores Coronæ suæ in Italia, Belgio, imò Hispania ipsa accessiones. XXIII.

An autem Parlamenta Regni, inprimis supremum illud Lutetianum, cujus olim ante illam à Richelio introductam & hinc usurpatam Tyrannidem, tanta authoritas, ut Decreta Re- XXIV.

gia primum suæ censuræ subjicere, & post eam valida vel invalida judicare posset, eundem cum Rege suo motum in hoc negotio habeant, valde dubitamus. Pacem & illa totumqve Galliæ Regnum optant, unoqve ore clamitant: Eamqve realem, & ut ante decennium aut qvod excurrit, in curia illa qvam vulgo des aides vocant, primus Præses emphaticè edixit: qvæ non inani verborum sono, sed reipsa constaret, scil. impositionum, contributionum, aliarumqve rerum non magis verbo, qvàm ipso actu barbararum omnimodâ cessatione. An expeditionis illius nobilitatis Generalis, vulgo Ban & Arriereban dicti alia sententia, vix dubitandum; maximè autem, an ipsa nobilitas appropinqvante æstate extra Regnum, qvod contra Privilegia sua esse credit, post tot superiore æstate perpessos labores reiqve familiaris incommoda non minus ac personarum jacturas comparare velint.

XXV. *Sveciæ Regem* qvod attinet, de motu animi illius haud occurrit multa dicere: Cùm sine eodem motus ille armorum haud accidisset. Qvis tamen Regi Juveni, & tam Belligerâ Prosapiâ nato, vitio vertet ansam eam ad novum bellum Galliæ persvasionibus, iisqve adeò ponderosis arripuisse: qvod jam dictum argumentum Proceres suos eò qvoqve commovit. Inter eos qvidam sunt, qvi originem Galliæ, adeoqve & adfectum huic genti se debere putant: alii qvi incolatum istius Regni pecuniâ se jure accepisse credunt, non datâ qvidem, sed recepta: Immunem ab hac peste omnino credo supremum Regni Archistrategum, qvi semper factioni illi Gallicæ fuit contrarius, etsi jam pro ea Martias qvosdam actiones agere jussus est, hic potius famâ, qvàm genio proprio acturus esse credendus: Vir enim est egregius, & nulli qvi arma nunc ut supremi Duces tractant, postponendus, Conscientiæ tamen & famæ studens: hæc enim ut immortalia symbolo suo optat.

Qvid autem *totius Sveciæ Regni Ordines* in Comitiis mox habendis de hoc motu armorum sentiant, sub judice lis est: Pacem & illos optare haud est dubium, cùm eò omnium omnino hominum vota proprio motu colliment; nec est dubium & vel qvar-

cum istius Regni ordinem sive homines Rurales ejusdem sensus esse bellumqve detestari, cum hinc & illis contributiones & qvod magnum illis onus descriptiones militum, das Ausschreiben/ multiplicentur. A superioribus qvidem statibus illis insusurratur, bellum hoc longe ab illorum finibus rationibusqve distare, & ad mediationem tantùm illius, qvæ hactenus tribuerunt, collata. Cætera & qvæ fortè ad perniciem regni seqventur, Magnatibus qvi Regem obsident, tribuenda: de qvibus aliqvando magnam debitamqve reddent rationem, non solùm in seqventibus Comitiis, sed aliqvo qvoqve superiore foro, de qvo eqvidem Magnates istius Aulæ satis securi; nusqvam enim Atheismus majores radices egit, qvam cum *Christiana* Regina Ductoribus qvibusdam Gallis manum ei, ante conversionem ad Catholicam fidem, dedisset; Et populi isti hæresi obscurissima occœcati parùm rectè de ista re sentire aut loqvi possunt. Sensus tamen, qvem exprimere satagunt, eo tendit: Qvocunqve Regem suum novo bello Germanico, cujus sors ambigua, & an successum prioris illius habere possit, valdè dubium, immiscere intendunt. Eos contra verum & genuinum patriæ interesse agere illudq; planè prodituros, si Regem suum alias independentem, ab alia, ut Galliæ Corona dependentem ac pecuniâ tributarium fecerint. Hæc illi. Si autem ut Catholicum me hic loqvi permissum: certum credo Pseudo-illos Veciæ-Episcopos & Presbiteros Magnatibus suis hoc qvod diximus scelus novi scil. inchoati belli & malorum inde scaturientium, nec in articulo mortis, remittere, nec ab eo eos absolvere posse nec valere nec ipsum qvidem summum Pontificem, nisi omnes singuliqve veniam illius debita conversione reqvirant: à qvo cum jam longè abesse videantur, qvid restat, qvin eos scelus tam immane hoc, qvo totum orbem Christianum longiore & diuturniore bello involvere & irretire allaborant, non in purgatorio qvod hæresi sua non credant, sed in infimo illo inferni barathro expiaturos credendum vel verendum sit.

Qvo etiam vulgi vota certo certius inclinare non est qvod inficiemur. Qvamvis Christiana Pietas aliud, & præcipuè conversionem omnium peccatorum, publici illi sint status & con-

ditionis vel privatæ, animitus optare debeat. Vox enim ejus solennis, cui Deus & suo tempore calculum vigoremqve addat:

Nulla salus bello, Pacem te poscimus omnes.

XXVIII. Non ordinis causâ commoveantur qvæ sumus *Liberæ Hanseatici fœderis Civitates:* non enim alium eis animorum hic motum esse credimus eorumq; vulgo, qvi cætero. Tempus fuit cum illustre & potens hoc fœdus Leges Regibus etiam Aqvilonaribus daret, & vel una ejusdem civitas, sed caput, *Lubeca*, Reges Sveciæ & imponeret & deponeret; sed jam alius rerum status, nec alia nunc à plaga Civitatibus istis magis metuendum, qvam ab

Jer.1.v.14. Aqvilone, unde nobis omne malum Lubeca qvidem ipsa viciniâ Daniæ aliqvanto securior agit: *Hamburgo* ab utroq; Arctoo Rege timendum propter jus, qvod unus in fundum ipsius urbis prætendit: & alter ex Ecclesiæ olim Cathedralis in eodem ad ducatum nunc Bremensem spectante Dominio. Qvid istud Sveciæ Regnum eodem jure in Civitatem ipsam *Bremensem* prætendat, satis notum, & obsidione istius urbis nimis ut Politicis visum, præcipitata, satis manifestum reddiderunt. Et hæ qvidem Principaliores dicti fœderis Hanseatici urbes: De *Brunsvigæ* enim & *Magdeburgi* libertate jam pridem actum est: Cæteræ vel titulo liberarum S. Imperii Civitatum gaudentes, parum fœderis istius nexum curant: aliæ qvo minus id facere possint, ut mancipia à principibus suis vi majori impediuntur. Qvis itaqve illius fœderis civitatum in hoc negotio motus animorum alius esse potest qvam novo hoc belli motu contristari ac ingemiscere, cum ut non majora belli incommoda hic enumeremus, commercia eo omnino turbantur, & prorsus ab eorum oris eliminantur, qvæ tamen vita & anima istarum civitatum, qvæ omnino hoc sibi

Lipsius Polit.4.c.9 dictum putent, qvod magnus Politicæ Doctor de minoribus potestatibus sive Principibus perqvàm verè dixit: *Qvies vobis tutior, nec de obtinendo laborate, sed de tenendo* vel conservando: qvod ibi testudinis exemplô ex Livio petito aptissimè probat. Cujus tamen ex observantia exempla satis stringentia allegare non est opus, cum obvia passim, qvamvis & non minus odiosa sint.

XXIX. Cum jam Principum ferè omnium, qvorum hoc in negotio

tio qvomodocunqve intereſſe poteſt, animi motus, imò & vulgi pro modulo conſideravimus: Non vitio nobis vertendum putamus: ſi & ſummi Principis *DEI* ſcil. *Opt. Max.* ut Regis Regum & Dominationum ſupremi Dominantis & judicis infallibilis de eodem motum animi, ſi & qvatenus divina ejus eſſentia motum aliqvem habere poteſt, in medium proferamus: non tamen ex noſtra eqvidem mente, ſed ipſius Oraculi ſui verbis, qvibus de hoc ipſo novo armorum motu ita eum ſentire credendum. *Qvi habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos, loqventur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Reget eos in virga ferrea, & tanqvam vas figuli confringet eos, &c.* *Abominatur* enim *Dominus virum ſanguinarium & doloſum: & diſſipat gentes, qvæ bella volunt*, (malunt, amant vel alia ex aliis ſerunt) eosqve, poſtqvam iis, uti virgâ iræ ſuæ ad caſtigandos filios ſuos pro juſtitia qvidem ſuâ, ſed Clementiâ tamen ſumma temperata, luſus fuerit, tandem filiis reconciliatis in ignem iræ æternum detrudet. Pſal. 2. v. 4. 5. & 9. Pſal. 5. v. 7. Pſal. 67. v. 33. Eſa. 10. v. 5. 16. & ſeqq.

XXX.

Qvod ut ſummâ ſuâ benignitate & in his motibus adimplere velit animitus precamur. Ex intimis cordis penetralibus cum Propheta clamantes: *O mucro Domini, usqveqvò non aqvieſces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare & ſile.* Cogita ſuper nos cogitationes Pacis & non afflictionis: ut des nobis finem (malorum) & patientiam, & invocabimus te & vivemus. *Et ego*, ait DEUS, *exaudiam vos; qværetis me & invenietis, cum qvæſieritis me* (ſed NB.) *in toto corde veſtro.* Tunc *inveniar à vobis, ait Dominus, & reducam captivitatem veſtram*, &c. Fiat, fiat! Jerem. c. 47. v. 6. Et cap. 29. v. 11. &c.

